

QUESTIO XIV.

Quare divina vox auditur, nec pro tritico, vel hordeo, sed pro vino, & oleo, ne quid mali patiantur?

142.

Difficultas quaestionis.

Lamavit Divina vox pro tritico, & hordeo: Bulbris tritici denario, & tres libras hordei denario, ut nempe, pro ratione meritorum, ac convenientia necessitatum, distribuerentur: tamen vox ipsa caelestis non auditur pro conservatione ipsius tritici, & hordei, sed pro vino, & oleo, ne quid mali patiantur, Vinum, & oleum ne laferis. Et cur magis voluit, oleum, & vinum immunia esse, ac libera ab omni calamitate, quam triticum, vel hordeum. Ad quaestionem.

143.

Luc. 10.

Quae egeris faverit, custodita sunt ab omni malo.

Respondeo primò, satis nota est parabola illa Luc. 10. n. 3. quod Samaritanus ille invenit hominem in via semi mortuum, à latronibus percussum, & vulneratum: misericordia tamen motus, ad illum accessit, vulneraque ejus alligavit, infundens oleum & vinum; non ergo mirum, si nunc districtè clamat, nec noxamentum inferatur vino, & oleo; ex quo enim haec inservierunt ad fovenda & curanda egeris miseris vulnera, inde valdè munimen salutis sunt assecuta, ut ad illa nullum accedat malum. Andreas Caesarienf. Quando verò, ait, ne vinum quidem, aut oleum ladatur, jubetur, ne, er turbam Christi medicina evertatur, aut per fraudem, & imposturam infirmetur, serio injungitur, ut quae illos sanare sibi idonèa, qui in latrones incidunt. Quae faverit percussis, & vulneratis egeris, meritò ab omni malo caelitus libera custodiunt.

Andr.

144.

Qui pio opere, ac saluti proximorum incumbit, liber est ab omni malo.

Secundò; sessor iste insidens equo nigro; stateram dolosam portat in manu, ut suis fraudibus, & dolo fideles circumveniat; quomodo ergo, ab hoc universali malo praecipitur servare illud vinum & oleum? Quamnam hujus rei causa? Vino intelliguntur Doctores, qui vitiosos, ac peccatores graviter reprehendunt; oleo autem, qui infirmos, ac debiles consolationibus recreant: Ecce cur, licet permittatur Diabolo, multis erroribus inficere, eosque innumeris malis afficere; tamen hoc ei attentata prohibetur erga eos, qui pietati, ac saluti proximorum incumbunt Richard, de S. Victor. Vinum, ait, sunt perfecti Doctores, male viventes mordaces, & acriter increpantes: oleum sunt aequè perfecti Doctores, pusillanimes dulciter, & suaviter consolantes. Interdicitur ergo sessori equi nigri, Diabolo videlicet, hereticorum dominatoris; ne vinum, & oleum ladat, id est, ne perfectos Doctores, malos arguentes, pios consolantes, haeretica pravitate corrumpere praesumat.

Richard.

145.

D. Bernard.

Terridè licet vinum, & oleum sint nobis utilissima ac gratissima, tamen triticum haec duo maximè superat, nam sine pane vitam ducere non possumus, nisi cum multa miseria, ac calamitate, & facillè à vino, & oleo abstinere possumus; Quomodo ergo districtè praecipit Deus, ne vinum, & oleum ladantur? Respondet D. Bernardinus: Vinum, & oleum ladat, ait, qui veteri testamentum, & novum malè expo-

nit: ideo ergo haeretici, qui significantur per equum nigrum, convenienter dicitur, vinum, & oleum ne laferis, id est, sacra Scriptura intelligentiam ne deprave. Vinum est legis austeritas, oleum Evangelii suavitas; illud pungit, sed hoc ungit; illud inebriat, istud sanat; cum ergo vino, & oleo novum, & veteri testamentum intelligatur, cujus verè intelligentiæ Deus sic est zelosus, ut maximè vetat, ac prohibeat, à quopiam depravari, ac malè interpretari, intacta vult esse in suo legitimo, ac vero sensu.

Quarò, maximè ad vitæ conservationem necessaria sunt triticum, & vinum, cur ergo haec duo non conjunguntur, & mandatur ne vinum, & triticum ladantur, cum haec maximè necessaria sint ad vitam? cur ergo vino oleum addere voluit, cum ita necessarium non sit? Vinum, cum acrimoniam quandam habeat, severitatem, & rigorem denotat: oleum autem, cum sit gustu suave, lenitatem: Ecce cur vinum ab oleo non disjungitur, sed utrumque connectitur; quia Prælati in aliis corripiendis debet severitatem cum lenitate commiscere, & utrumque semper illud servare. Andreas Caesarienf. Ut nos, ait, Deum optimum maximum, avimarumque nostrarum medicum experiamur, fratribusque nostris errantibus benignos, clementesque nos exhibere studeamus, objuratoriis vinum commiserationis, oleo misericordiae, ut nimia severitate, quod Apostolus damnat id quod claudum, nihil in voce erat, distorqueamus verius, quam sanemus.

Quintò D. Thom. Ne laferis per tentationem quantum ad animam, vinum adhibe, eos qui resistentur sanguine, signando per vinum in sacramenti praecipione. Glossa. ait, per vinum intelligitur sacramentum Eucharistiae, per oleum verò; quod ponitur in multis sacramentis, cetera sacramenta; qui Ecclesiae sacramentis mununtur, custoditi sunt ab omni malo.

Sextò, cur ab illa universali clade, ac devastatione vinum, & oleum illæsa serventur? Ad hujus dubii solutionem recolit illud Apologum propositum, Judic. 9. n. 8. Iverunt ligna, ut vigerent super se regem, dixeruntque olive, impera nobis, qua respondit, nunquid possum deserere, dominum meam, qua & dicitur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum, veni, & super nos regnum accipe: qua respondit eis, nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter caetera ligna promovear? Locuta sunt ligna ad vitem: veni, & impera nobis, qua respondit eis: nunquid deserere possum vinum meum, quod lacificat Deum, & homines? Perpende, ut rectè notat M. Didac. Bæcæ tom. 2. in Evang. lib. 6. cap. 3. § 37. Quod oliva, & vitis primò in fructibus suis, Dei meminerint; ficus verò sola Deum oblita, de dulcedine tantum suorum fructuum recordatur: Ecce cur oleum, & vinum non ladantur, sed potius eorum fecunditas, & benedictio indicitur; ut porè, quæ fructus suos imprimis Deo dicaverunt: è contra, quæ Dei non meminit, & fructus suos sibi servat, maledictione munitur; Ecce cur ficus maledictionem accepit à Christo, & omninò arida facta est; quia in fructibus suis Dei immemor fuit. Haec ferè omnia moraliter sunt dicta.

Septimò, & genuinè ad literam respondeo: quod

146.

Severitas enim lenitate miscenda, ut Deus placeamus.

Andr. Cas.

147.

D. Thom.

Gloss. Moral. Sacramentis custoditur homo ab omni malo.

148.

Judic. 8.

Qui fructus suos Deo dicitur, benedicitur.

149.

quòd cum quatuor animalia, seu Evangelia, clamant ad hunc equitem: Vinum, & oleum ne laferis; Intelligendum est de vino charitatis, ac oleo misericordiae; nam illa non pollutant intelligi juxta literam; nam in isto equo, & equite, nihil omnino materiale apparet; quo possit vinum, & oleum ladi; unde sine causa ei diceretur: Vinum, & oleum ne laferis. Magis hoc videtur, fuisse dicendum praecedenti equiti, qui gladium habebat in manu; deinde ista prophetia, quæ est pro omnibus saeculis futuris, non est coarctanda ad aliquam annonam inopiam; ergo de charitate, & misericordia est exponendus locus: Admonetur ergo Prælati Ecclesiastici, ut in suo regimine, sive Ecclesiastico, sive regulari, sic habeat stateram in manu, ut charitati, ac pietati non offendat, sed ut minoribus provideat juxta uniuscujusque exigentiam, & necessitatem.

Prælati nec sic aeditus sit iustitia, ut charitatem ladat.

150.

Job. 1. Superiores provideant necessaria inferioribus.

Olymp.

151.

Gen. 18.

Gen. 13.

Ibi major est necessitas, ibi magis subveniendum.

D. Chryl.

Filii Job, tanquam à tanto parente benè instructi, magno charitatis nexu inter se copulabantur, ideo simul faciebant convivia, & inde illa funebri declamatione in domo primogeniti facta: Filii tui, & filii tui, comederunt, & bibebant in domo fratris sui primogeniti. Job. 1. num. 18. Maxime expendendum, quod frater senior, ac primogenitus convivium aliis fratribus minoribus pararet, ut eos cibo, & potu recrearet. Et cur hoc, tanquam maxima ponderatione dignum in domo fratris majoris notatur? Olymp. in Catena sic ait. Convivium verò exornat, cum illius exstructorem, frater in natu majorem fuisse confirmat. Expende illud convivium exornat, maximum enim ornamentum, ac decus est, quando majores, ac potentiores invigilant, & provident in minorum, ac inferiorum necessitatibus, ut eos convenienti cibo, & potu pascant.

Hac charitas magis innotescit, dum pro majori uniuscujusque egestate, necessaria providentur. Abrahamus in Convalle Mambre sedebat in ostio tabernaculi, in ipso fervore diei; Genes. 18. num. 1. Et ut est communis, ac constans Patrum, ac interpretum sententia, erat ibi invigilans, ac expectans, an aliquis advena, & peregrinus praeterisset, ut eum hospitio recrearet; & erat Abrahamus in Mambre, & erat illustris convalis, juxta populosam civitatem Hebron, Genes. 13. num. 4. Si pauperes, & egenos hospitio recipere volebat Abrahamus, cur eos è propinqua civitate non convocat, & ad se invitat, sed tantum advenas, & peregrinos quaerit? & non in alio tempore, sed in ipso meridiano fervore diei? Abrahamus ut benè divina charitate erat instructus, non quoscumque pauperes tantum quaerit, sed eos maximè qui multum egestate opprimuntur: ut sunt externi, & advena, & hos non quolibet tempore, sed eo potissimum, quando temporis calamitas, & ardoris solis inclementia nimium vexat, & affligit, & tunc eos expectabatur, ut hospitio, ac mensa suscipiat, & ut à tanta temporis injuria sublevarentur; D. Chryl. Hoc valde, ait, auget hospitalitatem, & virtutem justis; in meridie boos faciebat; merito; quoniam sciebat quod quibus est itineris necessitas, eo tempore maximè indigent cura, proinde tempore hoc, ut idoneum elegit; sedens eos, qui praeteribant; venabatur.

Et magna fecerat Joseph Aegyptii plevra in Apocalypsim, Tom. 1.

apudque illos regnum, & magnum nomen accepit dum tamen ejus facinora recententur. Genes. 49. n. 14. Sedit in forti arcus ejus, dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Jacob: inde Pastor egressus est, lapsus Israel, Deus patris tui erit adjutor tuus. Ac si dicatur, ex eo quod ipse Dei virtute, à vinculis est absolutus; & à carcere liberatus inde solum Aegyptum cum multis hominibus, sua vigilantia, & mirabili prudentia à fame exemit. Tamen non dicitur pastor Aegypti, sed Israelis decantatur; frumenta dabantur Aegyptiis, cum essent in solo suo, & in domo sua; At filii Israel ministrabantur, cum essent extranei; & advenæ, ac ignoti in Aegypto; & hi cum sint in alieno loco, maximè solent necessitate, ac inopia vexari; & hos alere, ac eis subvenire, maximè exornat, ac nobilitat Pastoris munus. Theodor. q. 96. in Genes. Esca suis egenibus exhibita, illum in gloriosum Israelis Pastoris titulum coexit.

Maximè egenibus dare escam nobilitat Pastoris munus.

Theod.

Apoc. 6. n. 7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentis: veni, & vide

Num. 8. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas, super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame & morte, & bestiis terræ.

VERSIONES.

Vatabl. n. 7. Vocem dicentem. Sir. Arab. num. 8. Vidi, & ecce equus viridis, infernus sequitur post eum: & data est illi potestas super quartam partem terræ ad occidendum gladio, morte, & fame, & ab animali vivente in terra. Arias. Infernus sequebatur eum ea, &c. interficere sub gladio, sub fame, sub morte.

EXPOSITIO.

UDITA voce quarti animalis, id est, Aquilæ supra, cap. 4. numero 7. Ecce jam apparet quartus, & ultimus principatus, ac potentatus militiae infernalis: Ecce equus pallidus, cæcus nempe iniquorum, ac pessimorum hominum, fallacium fratrum &

hereticorum qui multa palliata malitia per orbem versantur, & qui sedebat super eum nomen illi mors. Princeps nempe tenebrarum, Diabolus sic appellatur; invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & infernus sequebatur eum; id est caterorum dæmonum, ac damnatorum turba. Et data est illi potestas; Divina permissione; Super quatuor partes terræ, id est, super omnem terram; mundumque universam. Interficere gladio, sive ferri, sive linguæ detractionis, fame, sive materialis, sive audiendi verbum Dei; bestis terræ, id est, brutis, & ratione carentibus carnis concupiscencia & morte; id est, quolibet alio nocendi, ac perimendi genere.

QUESTIO XV.

Quare Aquila quartum animal, vocat Ioannem ad videndum contenta in quarto sigillo?

154. Hoc quartum animal sine dubio est ipsemet Ioannes, non ut in propria persona, sed ut aquila, ac ut tenens locum quarti animalis; sed quid habet hic aquila, seu Evangelium Joannis, cum hoc quarto sigillo, seu equo? est quæstio præfens

155. Ad maiorem palliatam agnoscendam necessaria perspicacia.

Luc. 21.

D. Chryf. Vigilia evitatur malum imminens.

156.

Matth. 2.

Vigilia fugiunt omnia pericula, & mala.

D. Basil. Sel.

Respondeo. Primò, quia ad agnoscendam malitiam iniquorum, ac pessimorum hominum, qui colore palliato veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, necessarium est acumen, ac perspicacia Aquilæ. Secundò, Aquila est Symbolum contemplativorum; qui in isto sigillo denuntiantur gravissimæ dæmonum tentationes, ac persecutiones, mortes, & calamitates, quæ frequenter ministerio iniquorum hominum excitantur; via autem huiusmodi mala fugiendi, ac evitandi, est; dum quis tanquam aquila à terra se extollit, & ad cælestia conscendit cogitatione, & oratione. Unde Dominus Luc. 21. n. 3. 6. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere ista omnia, quæ futura sunt; ex quo eleganter dicit D. Chrysostomus, hom. 22. ad Populum: Nullus unquam vigilans lapsus est: Ecce cur Aquila admonet isto equo illumque ostendit. Furebant rabidissimi venti, & fluctus feri, maris intumescens navim invadunt in qua Iesu dormiebat; discipuli magno timore correpti dormientem excitant: Discipuli eius suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salve nos, perimus. Matth. 8. n. 25. Cur magis ad navis gubernacula non currunt, & magistrum dormientem sinunt; etiam ad eius divinam virtutem confugiunt, ut à periculo liberentur, ad quid eum excitant à somno? nam eum verum Deum esse, credebant, ac proinde etiam credebant quod ipse tam vigilans, quam dormiens, omnia videbat, & eorum preces audiebat; ad quid ergo eum à somno suscitant? Elegantissime D. Basil. Seleuc. orat. 2. illorum verba sic proponit ad Dominum dicentium: Ostende se vigilan- tem & pelagus reverberetur. Nulla res citius malis incurrentibus occurrat, quam vigilans oculus; & ideo primò ante omnia eum suscitaverunt pro certo habentes, ab eius vigilia omnia ma-

la propulsanda esse; Nullam timetur malum, ubi vigilia intervenit.

157. Ut Josue civitatem inimicam Iericho devastaret, interfecitque omnibus à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem, omnia que sub sua potestate redigeret, vociferantis populi vox insonuit; & illico hostiles muri corruerunt; sic ait Text. Josue 6. n. 20. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitûsque increpuit, muri illico corruerunt. Quid habuit hæc vox populi, ut esset tam fortis, ac valida, ut ejus sonitu hostiles muri corruerint? Unde tali voci tanta virtus? Cathulibi, ait: Clamabant non irrationabiliter, & confusè, sed devotè ad Dominum, eum laudando, & invocando. Et ubi una vox insonuit, Deum invocans, & deprecans, non mirum, quod hostiles muri corruant, & omnia arma adversaria devicta habeantur.

158. Qui in vigiliis est, non multum hostes timeat; secus verò qui se somno tradit eum Christum secum tenere non valeat; custodibus sepulchri dicebant perfdi Judæi: Dicite, quia discipuli ejus, nocte venerunt & furati sunt eum, nobis dormientibus, Matth. 28. Ubi pulch. Drogo Hostiensis lib. de sacram. Passion. O mendaces, verum dixistis: sed mensura est iniquitas vobis; dormientes enim Christum custodire non possunt. Mentiuntur cum dicunt, quod ipsis dormientibus, discipuli furati sunt eum; ipsa tamen iniquitas contra se dat testimonium; quia dormientes Christum custodire non poterant; nam Christus qui vigilia tenetur, somno perditur; nam ipse somnus parat occasionem, ut hostis ingrediatur, & optima quæque vasa ejus diripiat.

QUESTIO XVI.

Quidnam significet equus pallidus juxta litteram?

159. Variæ sunt sententiæ in hac re; & Primò Aureolus, Lyranus, Viegas in isto pallido periectionem Domitiani intelligunt, Ribeira Trajani, Andreas Cæsariensis. Diocletiani.

At hæc sententiæ non subsistunt; nam nulla sunt verba in hoc sigillo, quæ magis significant persecutionem, sive Domitiani, sive Trajani, sive Diocletiani, quam alias septem; cum ad minimum decem fuerunt generales persecutiones à Nerone, qui primà excitavit, usque ad Constantinum, sub quo Ecclesia cepit, habere pacem. Deinde cur magis Domitianus dicitur mors, quam Nero, Trajanus, vel Decius, seu Antoninus, aut Diocletianus, seu alii persecutores Ecclesiæ? & cur istam magis mortem sequitur infernus?

160. Secundò, Joachimus Abbas, Seraphin, Firmus, Cornel. Esthius, Menoch. & alii contendunt, hunc equum significare Mahometum, ipsiusque sectatores Agarenos, Mauros, & Turcas; Mortem verò esse ipsum Mahometum. Hæc sententiæ ex multis non placet, & primò ut contra illam objicit Ribeira cur quartum animal potius excitat Joannem ad hæc videnda, quam ad alia contenta in aliis sigillis? Deinde cur Mahometus est magis

157.

158.

158.

Matth. 28. Drogo.

Dormitare, facit Christum perdere.

159.

160.

161.

Impugnatur etiam hæc sententia.

magis mors, quam alii Ecclesiæ tyranni, illiusque persecutores? & cur hic potius sequatur infernus, quam in aliis adversariis? Tandem hic non bene conveniunt illa verba: data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, morte, &c.

162. Anglic. Dionys. Gagn.

Impugnatur etiam ista sententia.

163. Alcazar.

Resellitur hæc sententia.

164.

Vera sententia.

165. Ezech. 14.

Tertio, Thom. Anglic. Dionys. Gagnæus, & alii explicant hunc equum de Hypocritis, Rufum de mundo, nigrum de Dæmone. Hypocritæ pallent, exterminantes faciès suas, ut videantur hominibus jejunantes: interficiunt homines gladio suæ linguæ, eos in varios errores inducentes; occidunt verò fame ac penuria veritatis? Hæc si dicantur moraliter, bene se habent; ma'è verò secundum litteram; Nam si duo alii equi, sunt mundus, & Dæmon; cur hic non dicitur caro, ut tres hostes Christi, nudus, dæmon, caro ut equo albo opponantur? Deinde cur hic magis est mors, & infernus, quam in aliis?

Quarto, Alcazar suæ inherens sententiæ, de partibus divinæ providentiæ, quas in his equis intelligit, hunc equum accommodat quartæ ab ipso tradite divinæ providentiæ proprietati, nimirum sapientiæ, quæ valde difficiliter hic elucet; Quænam magis specialis Dei sapientia hic effulget; quàm in quacumque alia re; & quænam magis specialis sapientia, quod homines moriantur, & quod mortui tradantur sepulturæ, de quibus ipse intelligit hunc equum & illum sequentem infernum? Noane hoc fuit ab orbe condito? & non minus apud infideles, quàm apud fideles? & cur hoc magis spectet ad Judæos, ad Christum convertos quam ad non convertos, vel ad alias gentes? & sanè in hoc sigillo nullum est verbum, quod magis ostendat divinam sapientiam, quàm divinam justitiam, vel securitatem.

Nostra ergo sententia est, quod hic quatuor equi significant universalem mundi cursum, per quos mundus portatur, & est venturus ad finem. Primus, & albus, est status, & quasi ætas ipsius Evangelii; Secundus rufus, est status, & quasi ætas, qua invaluerunt, & floruerunt Barbari Tyranni, & principes sæculares: Tertius, & niger ob integritatem justitiæ, est Ecclesiasticus principatus, n quo est Papatu, ac omnis Ecclesiastica dignitas; Quartus, & pallidus, est cæterus omnium hominum pessimorum ac iniquorum, & hereticorum, qui multa palliata malitia, versantur in orbe; fessor est diabolus, per quem mors introivit in mundum, & ut princeps prodit comparatus magno exercitu, multi que satellites; exercitus est infernus; scilicet aliorum dæmonum, & damnatorum. Satellites sunt primò bella, & dissidia in gladio. Secundò penuriæ alimentis, ac etiam divini verbi, quæ spectant ad famem. Tertio Pestilentia, morbi; & alii nocendi modi, & pertinent ad mortem. Tandem quartus satellites hujus mali equitis; & sunt multa mala hominum, quæ proveniunt ex feris, & venenatis aliisque bestiis; fuctu, & seta latentibus; & etiam ex brutis, venenatisque moribus.

Et hæc ex magna iracundia permittuntur Deo in homines, ut minatur Hierusalem Ezechiel. 14. n. 21. Si quatuor judicia mea pessima gladium, & famem, & bestias malas, & pestilentiam (quam hic Joannes dicit mortem) immisero in Hierusalem, ut interficiam de ea hominem & pecora. Et ideo supra dixi contra Alcazar Sylveia in Apocalypsim. Tom. I.

quod hæc potius spectant ad severitatem, quàm sapientiam.

QUESTIO XVII.

Moralis intelligentia hujus equi pallidi.

166. Sensem literalem jam explicavimus, ad moralem accedamus, & primò in equo isto pallido figurantur rerum terrenarum nimii amatores, quibus infidet diabolus; & pallidi sunt ex nimia anxietate acquirendi timore acquisita perdendi; sed quomodo dicitur, quod infernus sequitur non solum equitem, sed etiam equum, & meritò, sanè, nam isti rerum amatores hanc ebibunt ab inferno conditionem, quod sicut infernus nunquam dicit, sufficit? sic etiam illi nulla abundantia, dicunt, sufficit. Haymo: Sicus infernus, nunquam dicit, sufficit; sed semper ad recipiendas animas suum laxat; ita isti mentem dilatant ad ambienda terrena; nec tantum acquirere possunt, quantum cupiunt.

Amatores terrenarum rerum similes inferno.

Haymo.

167.

Secundò Rupert. lib. 3. in Exod. c. 10. notat, in antecedenti equite equi nigri, cui dictum est, bilibri tritici denario, magnam significari famem ac penuriam, non solum annonæ temporalis, sed etiam panis Eucharistici. Ecce cur statim sequitur equus pallidus, cujus fessor nomen habet mortis, quæ sequitur infernus, & potestate data interficiendi omnes gladio, fame, morte, & bestis terræ. Ecce quanta mala proveniunt ex factæ Eucharistiæ fame; pallor præterdit famem, & agritudinem, & statim sequitur mors, non solum animæ, sed etiam corporis; nam sine hoc divino cibo vires corporis tabescunt; id quod expressè B. Apof. Paulus 1. Cor. 11. agens: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Insuper in eum irruit omnis infernalis caterva; & hoc non in una regione, sed in universa terra; & hoc non cum uno mortis genere, sed universa malorum congerie: fame, gladio, ac bestis terræ; omnia enim malorum genera irrunt in eum, qui à facta Eucharistia cum contemptu recedit; & eam non frequenter, Rupert. citat. sic ait: Qui & hujus panis sempiternam patiens inedia, & semper est pallidus, & mors illum sequitur.

Eucharistia penuria, omnia mala veniunt.

168.

Tertio valde mirum, quod mors, ut homines perdat gladio, fame, morte, ac bestis terræ paret in equo pallido. Valde celebris est historia Heliodori; qui mandato Antiochi ingressus est Hierosolymam, ut aurum in templo aservatum raperet; cum autem jam accederet, ut illud raperet; Apparuit autem illis equus terribillem habens fessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat videbatur arma habere aurea, 2. Machab. 3. n. 25. Ecce equus aureus sese objicit Heliodoro, ut hominem interficiat. At verò nunc ad homines interficiendos gladio, morte, fame, ac omni pestilentia genere, equus pallidus apparet; cur ergo ab Heliodoro mortem inferendam, equus aureus prodit? Hic verò pallidus exiit? Deum offendi per aurum de templo auferendum, meritò equus aureus, at vindex divinæ justitiæ aggreditur, ut illum perdat; Iniquis, verò ac pessimis hominibus

1. Mach. 3. Qualia arma sumit peccator contra Deum, talia in eum Deus instituit.